106

Quo moram in scribendo commissam devota sedulitate purgem, Illustris Goldaste, prioribus ejus generis subjungere volui literas, ex quibus belli civilis statum quodammodo cognoscas. Non quod is Te fugiat, sed quod de illo ex me certiorem fieri Te voluisse existimaverim. Postquam Rex Daniae aggere munito ingressum in Archiepiscopatum Bremensem ab arce Ottersberg Weseram usque Caesareanis praeclusit, castrum Langwedel obsedit, et in subsidiarios ex fortalitio ad castrum exstructo pugnantes, quotidie tormenta quatit; sed quia via obsessis subveniendi ex Episcopatu Verdensi patet, sua denique conatu irrito; fieri autem hac velitationem magis ac pugnam sapere videantur, quamprimum ob pabuli inopiam Caesareani equitatum in hostem ducere potuerint, experiemur majora. Dux Brunsvicensis quale responsum de Rendentia restitutione tulerit à Dano, ex illius intelliges apographo his annexo. Cum ad egestatem extremam reducti incolae nostri contributiones militi Anhaldino solvere nequiverant, is ex oppidis Walsroda et Fallersleben magnam abegit praedam; idem periculum oppido Giffhorn imminet: quare Rex Mag. Dux noster praesidiariorum Giffhornensium Praefecto mandavit, ut praedabundos advenientes sclopetis sine discrimine excipiat, interea rem totam ad Comitem à Tylli deferri curat. Georgius Dux Luneburgensis militem ex metatis sensim cogit, et ad oppidum Bleckede transitum in Holsatiam adornat. Caesareani cum Landtgravio et aliis Circuli statibus ac urbibus sedulo agunt, [illegible] quam Daniae regni Consiliarii ineundam Regi suadent, Ordines vero Circuli [illegible] ... [illegible] impeditus, Electoris Saxoniae [illegible] deferendam urget, [illegible] media et diversorum vota [illegible] substitere. Vale incomparabilis Patrone, et sine Te exorent, quo literis meis prioribus aliquid largiaris, imprimis tabularum proscriptionis, quibus Ducatibus Saxoniae et Bajoariae Henricus Leo exauthoratus fuit, gratiosè me facias participem. Dab. 17. April. 1627

Illustris Magnif. T.

Humilis servitor

M.G.

...ariosa [illegible] arce
...[illegible] à Rege [illegible] expugna,
...[illegible] totus, [illegible] ... Rex
...[illegible] mittere possit.

Cassel d. 12 April.

Dem Edlen, Vesten, Hochge-
achten und hochgelerten Herrn
Melchiori Goldasto von Haimins-
feldt, Fürstlichen Schaumbur-
gischen geheimbten Rath zur
Bückeburg, Meinem groß-
günstigen gebietenden
Herrn etc.

Bückeburg.